



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus  
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

**Luxemburgi, 1741**

4. Zelus Catholicæ &c. De Inquisitione Fidei in Francia: an. ....

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74452](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74452)

ANNO  
1376.IV.  
Ex Hist.  
Univ. Parisiens.  
Bulæi  
Tom. 4.  
p. 444.

De Inquisitione Fidei in Francia: an. - - -

## GREGORIUS EPISCOPUS,

*Servus Servorum Dei, charissimo in Christo Filio Carolo, Regi Francia illustri, Salutem & Apostolicam Benedictionem.*

**Z**elus Catholicæ Fidei, præsertim in tuis honoris & meriti laudibus Nos inducit, ut pro defensione dictæ Fidei, præsertim in tuis partibus, devotionem Excellentie Regiæ fiducialiter requiramus.

Quippe ex dilecti Filii Inquisitoris Hæreticæ pravitatis Partium Delfinatus Viennensis expositione didicimus, quod in dictis partibus Hæreticorum multitudo copiosa consistit, quos nonnulli Nobiles partium earundem postposito Dei timore faventes non permittunt eundem Inquisitorem procedere contra illos, & quod dilectus Filius nobilis Vir Gubernator Delfinatus ejusdem contra tales de favore sui Officii requisitus, illum impendere negligenter omittit, propter quæ multiplicantur execrabiles hæreses & Hæreticorum inficientium illas & vicinas Patrias numerus, proh dolor! continuè adaugetur. Unde si super iis cum tuæ devotæ Celitudinis auxilio, sine quo non potest justitia ministrari, celer & efficax remedium non opponatur, in omnibus dictis partibus & etiam Regno vepres & spinæ hæreticalium errorum possent citò succrescere, non de facili evellendæ, in periculum animarum gravissimum & obubilationem Claritatis Catholicæ, sinceritatis Fidei Orthodoxæ, quam tui Christianissimi & incliti Progenitores non solum defenderunt viriliter, sed magnificè extulerunt. Eapropter Regiam Majestatem requirimus instantiusque rogamus, quatenus super præmissis tam devotè quam ferventer & efficaciter atque celeriter non solum litteralibus mandatis, sed Nunciis & Executoribus ferventibus, audacibus & devotis ad dictas partes per Te mittendis, prout tanta materia exigit, providere festines, quod exinde tua multiplicentur merita apud Deum, & præconium in hoc Dei negotio, quod cuncta præcellit, gloriosius extollatur, & Nos contra Nobiles & alios tuos Subditos defendentes & foventes eosdem Hæreticos exigente justitia, quam nullo modo possemus omittere, procedere non cogamur. Cæterum ut contra hujusmodi Hæreticos & fautores eorum efficacius procedatur, Venerabilem Fratrem nostrum Antonium, Episcopum Massanensem, Apostolicæ Sedis Nuntium, harum Latorem, ad dictas partes dirigimus, cum tu velis tuam assistentiam adhibere in consilio ac auxilio & favore, ac indubiè credere ea, quæ de præfatis ex parte nostra Tibi duxerit referenda.

Datum Avenioni Nonas Maji, Pontificatus nostri anno quinto.

ANNO  
1376.V.  
Ex Saracini Noticie  
Istoricæ d'Ancona pag.  
---

Anconitanos excitat contra Ausculanos &amp; Firmanos Romanæ Ecclesiæ: anno 1376.

## GREGORIUS EPISCOPUS,

*Servus Servorum Dei, dilectis Filiis Populo & communi nostra Civitatis Anconitane Salutem.*

**N**on sine dolore referimus, quòd licet iniquitatis Filii, Populi & Communis Civitatum nostrarum Firmanæ & Ausculanæ, ac Universitatis quarundam aliarum Terrarum, licet de jure sint & esse debeant Nobis & Ecclesiæ Romanæ subjectæ, tamen ipsi Spiritu elationis permoti contra Nos & dictam Ecclesiam insultibus motibus rebellant, qui per Nos diu requisiti benignè, ut ad gremium Ecclesiæ præfate redirent, requisitionem paternam, obstinatâ contumaciâ contempserunt; Quare Fidelitati vestræ, quæ amicos dictæ Ecclesiæ pro amicis, & inimicos pro inimicis habere debeant, præsentium tenore mandamus, quatenus dictos rebelles, sicut eorum merita exigant terrestribus, & maritimis insultibus prosequi studeatis, ut qui dulcibus monitis quiescere non curant, saltem verborum stimulis respiciant.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum 14. Calendas Februarii anno septimo.

Admonitus Gregorius quid rerum in Anglia moliretur Wiglessus, quæve perniciose dogmata spargeret, hæc Bullâ præcipit capi, & tradi in manus Archiepiscopi Cantuariensis, aut Episcopi Londinensis: anno - - -

VI.  
Ex Hist.  
Univ. Parisiens.  
Bulæi  
Tom. 4.  
p. 450.

## GREGORIUS EPISCOPUS,

*Servus Servorum Dei, dilectis Filiis Cancellario & Universitati Studii Oxoniensis, Lincolnienfis Diocesis, Salutem & Apostolicam Benedictionem.*

**M**irari cogimur & dolere, quòd vos qui propter gratias & privilegia vestra Studio Oxoniensi ab Apostolica Sede concessa, & propter scientiam Scripturarum, in quarum pelago felici remigio, dante Domino, navigatis, tanquam pugiles & propugnatores Orthodoxæ Fidei, sine qua salus animarum non provenit, esse deberetis, solum inter purum triticum Campi gloriosi Studii vestri

prædicti